Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Programma, Qvo Rector Academiæ Gryphiswaldensis, Eberhardus Barnstorff/ Medicinæ Doct. & Profess.Ord., Facultatis Suæ Senior & h.t. Decanus, nec non Civitatis Physicus, De Festo Pentecostes Veteris & ...

Barnstorff, Eberhard

Gryphiswaldiae, [MDCCVIII?]

VD18 13251260

urn:nbn:de:gbv:45:1-17353

Visual Library

PROGRAMMA,

Qvo

RECTOR

ACADEMIÆ GRYPHISWALDENSIS,

EBERHARDUS Barnstorff/

Medicinæ Doct. & Profess. Ord., Facultatis Suæ Senior & h. t. Decanus, nec non Civitatis Physicus,

DE

FESTO PENTECOSTES,

Veteris & Novi Testamenti differit,

Atqve ad hujus

Devotam piamqve celebrationem,

CIVES ACADEMICOS

Adhortatur.

GRYPHISWALDIAE,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

ILluxit iterum per DEI gratiam Sanctissimum Pentecostes Festum, qvod in memoriam solennis effusionis Spiritus S. in Apostolos primo hujus Festi die post CHRISTI ascensionem factæ feriamur. Qvemadmodum enim CHRISTUS jam ante passionem suam discipulis suis Spiritum S. post discessum suum ad Patrem aliqvoties promiserat, utpote Joh. XIV. 16. 17. *Et ego rogabo Patrem, ut alium Paracletum det vobis, ut maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, qvem mundus non potest accipere, qvoniam non videt illum, neqve cognoscit illum. Vos autem cognoscitis illum, qvia apud vos manet & in vobis erit.* Cap. XV. 26. *Qvando vero venerit PARACLETUS, qvem ego missurus sum vobis à Patre Spiritus Veritatis, qvi ex Patre exit, ille testabitur de me.* Cap. XVI. 7. *Verum ego veritatem vobis dico: Prodest vobis, ut ego abeam; Si enim non abirem, PARACLETUS non veniret ad vos: Si vero abivero, mittam illum ad vos:* Ita qvod promisit, idem hoc ipso Festo præstitit. Neqve tamen super solos Apostolos & Discipulos, sed etiam super alios fideles, qvi Hierosolymis congregati erant, Spiritus S. solenniter effusus est. Qvemadmodum nos docet Lucas Actor. II. 1. seqq. & in Veteri jam Testamento speciatim apud Prophetam Joël. II. 28. seqq. prædictum erat. *Fiet etiam postea: Effundam Spiritum meum super omnem carnem, ita ut prophetent filii vestri & filiæ vestræ: Senes vestri somnia somnient: Juvenes vestri visiones videant: Etiamqve super servos & super ancillas, in diebus illis effundam Spiritum meum.* Unde Apostolus Petrus, demonstraturus, non mero, ut irridentes dicebant, sed *Spiritu Sancto* fideles impletos, variis lingvis loqvi, ad hoc Joëlis vaticinium provocat: *Sed hoc est,* inqviens, *qvod dictum est per Prophetam Joël.* Etsi autem non amplius immediate, visibiliter & solenniter Spiritus S. super

ſuper fideles hodie effunditur, qvicqvid etiam nonnulli contradicant; merito tamen ingens hoc divinum beneficium, feriando hoc Feſtum, grata recolimus memoriâ, perinde ut Feſtum Nativitatis & Paſchatos, in memoriam incarnationis & reſurrectionis CHRISTI, indeqve in nos collatorum beneficiorum hactenus celebravimus. Judæi in Veteri Teſtamento ſuum etiam qvotannis Pentecoſtes Feſtum celebrare tenebantur, ſicut mandatum divinum de eo legitur Exod. XXXIV. 22. *Feſtum etiam ſeptimanarum facies tibi, tempore primitiarum meſſis tritici.* Deuter. XVI. 9. 10. *Septem ſeptimanas numerabis tibi; ex qvo cœperit falx in ſegete, incipies numerare ſeptem ſeptimanas, facieſq; Feſtum ſeptimanarum Jehovæ DEO tuo; Cenſus voluntarii muneris manus tuæ, qvem dabis; prout benedixerit tibi Jehova DEUS tuus:* Qvod Feſtum etiam in Novo Teſtamento Hieroſolymis celebratum fuiſſe legimus. Actor. II. 1. XX. 16. Ritus autem, qvibus celebrabatur, ſeqventes erant: Omnis maſculus ex omni terra Hieroſolymis ad hoc Feſtum comparere debebat, ſicuti etiam ad Feſtum azymorum, & ad Feſtum collectionis ſive tabernaculorum, Exod. XXIII. 14. ſeqq. XXXIV. 18. 22. & 23. Deut. XVI. 16. unde Lucas Actor. II. 8. ſeqq. varias nationes recenſet, qvæ Hieroſolymis in hoc Feſto congregatæ erant. Recordari autem in hoc Feſto legis debebant in monte Sinai latæ. Cum vero in memoriam hujus exit⁹ & tranſitus angeli mortis Feſtum Paſchatos qvotannis feriari tenerentur. Exod. XII. 17. XIII. 3. ſeqq. Hinc qvia qvinqvageſimo poſt hunc exitum ex Ægypto die lex in monte Sinai ſolenniter promulgata erat, Exod. XIX. 15. eo eqvidem die qvotannis in memoriam hujus beneficii hoc Pentecoſtes Feſtum celebrare obſtricti erant. Nomen inde etiam accepit, qvando appellaretur Pentecoſte, i. e. qvinqvageſimus dies. Solebant enim

Landesbibliothek Oldenburg

enim Judæi inde à ſecunda Paſchatos feria omnes & ſingulos dies ſollicite numerare, & qvidem ſtando & preces fundendo usqve ad ſeptimum. Hinc ab initio iterum numerabant, usqve dum ſeptem hebdomadæ eſſent completæ, qvemadmodum in mandatis acceperant, Levit. XXIII. 15. 16. Deut. XVI. 9. 10. Videatur Buxtorffii Synag. Jud. Cap. 20. Voiſin ad Proœmium Raymundi Pugion. Fidei p. 138. b. Novarin. Schediaſmat. L. VIII. Cap. 24. Et hæc eſt cauſa, qvare appellatum fuit Feſtum hebdomadum. Præter qvotidiana ſacrificia offerebantur *juvenci filii bovis, duo, aries unus, agni ſeptem, filii anni: Cum Mincha eorum ſimilagine, mixta oleo: tribus decimis in juvencum unum, duabus decimis in arietem unum: ſingulis decimis in agnum unum, qvoad ſeptem agnos. Offerebatur & hircus unus ad ipſos expiandum*, Num. XXVIII. 27. ſeqq. Clangore tubarum & muſica vocali ex Pſalmo CXIII. CXIV. CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. reſonante. Publicæ dehinc pro meſſe bona DEO gratiæ agebantur, duobus panibus ex novo frumento piſtis, qvi ex ſingulari providentia Divina nunqvam deerant, oblatis, unde etiam Feſtum Primitiarum vocatum, Exod. XXIII. 16. XXIV. 22. Levit. XXIII. 17. Num. XXVIII. 26. Qvibus omnibus ita peractis benedictione ſacerdotali, interveniente Sacerdotum muſica, populus dimittebatur. Et licet unicus huic Feſto tantum deſtinatus eſſet dies, Num. XXVIII. 26. Act. II. 1. XX. 16. cauſam hanc *Maymonide* reddente, qvia ſolennis illa in monte Sinai per legis promulgationem manifeſtatio divina non niſi per unum diem duraverit, Mor. Nevoch. P. 3. c. 43. tam ſanctum tamen illud habebatur, ut nullum opus in illo perficeretur. Num. XVIII. 26. Pluribus hæc omnia deducuntur à Clariſſimo Lundio in den alten und Jüdischen Heiligthümern / Lib. V. Cap. 16. p. 1017. ſeqq. edit.

edit. fol. ex qvo hæc repetere volui, *O mei*, ut qvanta sanctitate, & qvanta solennitate Festum hoc à Judæis in Veteri Testamento fuerit celebratum, vobis ὡς ἐν συνόψει ob oculos ponerem, atqve ad similem non corporalibus, sed spiritualibus sacrificiis, qvæ sunt preces & gratiarum actiones, Psalm. L. 23. CVII. 22. Oseæ XIV. 3. Rom. XII. 1. exhibendam in hoc Festo devotionem, atqve celebrationem illius vos admonerem instigaremqve; *Qvod si enim* (verba sunt B. Dieterici P. 11. Analyseos Evang. in festo Pentecostes p. 199. edit. in 8vo.) *Judæi suam Pentecostes festivitatem in memoriam promulgatæ legis solennitate magna qvinqvagesimo à transitu per mare rubrum die celebrarunt, qvanto magis nostrum nos Pentecostes festum, qvo qvinqvagesimo à Paschate Judaico, qvadragesimo vero nono à resurrectione dominica die Spiritus S. qvi est digitus DEI ad charitatem, ut loqvitur B. Augustinus, Apostolis datus est, Christiana solennitate & decenti lætitia peragemus. Frustra enim* CHRISTUS *nobis esset natus: Frustra passus & mortuus. Frustra resurrexisset & in cœlum ascendisset, nisi etiam Spiritũ S. nobis misisset, qvi nos ad summa isthæc munera percipienda præparasset & sanctificasset, ut non immerito Bernhardus dixerit; post magnificentiam resurgentis, post gloriam ascendentis, post sublimitatem residentis, non restabat, nisi ut expectata justorum lætitia veniret, & cœli munere cœlestes homines implerentur.* Eqvidem ut reliqva festa Judaica omnia, ita & Pentecostes nos in Novo Testamento non amplius obligant, juxta Paulum Colos. II. 16. *ne igitur vos qvis judicato in cibo aut potu, aut in parte Festi, aut novilunii, aut sabbathorum: qvæ sunt umbra futurorum, corpus autem CHRISTI*; Hinc in Galatas Festis hisce Judaicis adhuc intentos graviter invehitur Cap. IV. 10. 11. *dies observatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vobis, ne forte frustra laboraverim erga vos.* At vero ut propterea nostra Festa, qvæ in Novo Testamento ex libertate Christiana absq̃

absq; omni superstitione & opinione meriti celebramus, non sunt abroganda; vidd. Auctores der unschuldigen Nachrichten de anno 1702. p. 1003. sqq. ita merito etiam nostrum Pentecostes Festum retinemus, illudqve sanctificamus, celebramus & feriamur. Memini me in B. Dieterici Institutionibus Catecheticis causas; cur Festa celebremus, legisse, qvas heic repetere non inutile erit. Sunt autem, *ut 1. ordine discatur historia, 2. sigillatim summa beneficia, his ipsis nobis parta, perpendantur, & 3. speciatim pro beneficiis his debitas DEO gratias agamus, iisdemqve in DEI gloriam nostramqve salutem utamur.* Atqve hæ causæ etiam *vos, o mei*, ad præsens Festum celebrandum instigare debent. Etiam nobis hoc Festum datum est, ut solennis effusionis Spiritus S. in Apostolos aliosqve fideles historiam ab Evangelista Luca in Actis II. recensitam etiam atqve etiam addiscamus, perpendamus atqve menti nostræ imprimamus. Qvem in finem Patres Pomeraniæ nostræ olim laudabiliter sanciverunt, ut feriis his Pentecostalibus *secundum, tertium, qvartum & qvintum caput Actorum*, utpote eorum, qvæ hoc Pentecostes Festo tempore Novi Testamenti facta sunt, historiam exhibentia, horis pomeridianis in ecclesiis nostris explicarentur. Et qvanqvam in Apostolos & fideles illos; non vero in nos solenniter & visibiliter Spiritus S. effusus sit, nostro tamen commodo hæc effusio facta est, qvippe qvi etiam hodie Spiritum S. accepimus, *non qvidem spiritum servitutis iterum in timorem, sed spiritum adoptionis, in qvo clamamus, Abba pater, ipse spiritus testatur cum spiritu nostro, qvod simus filii DEI.* Rom. VIII. 15. 16. Qvemadmodum ergo Judæi omnes, Festum hoc in memoriam legis in monte Sinai solenniter latæ, non obstante, qvod posteri hanc promulgationem non audivissent, neq; temporibus ipsorum facta esset, feriari tenebantur vi præcepti

cepti divini; ita & nos, non qvidem ex ſpeciali divino mandato, ſed ex libertate Chriſtiana Feſtum hoc pia mentis devotione celebramus, qvanqvam non ſolenniter & immediate Spiritus S. ſuper nos effunditur, ſufficit tamen, qvod ille nobis per ſacramentum & verbum Divinum mediate ſit datus, prout Apoſtolus Paulus l. c. hoc ipſum oſtendit. Et qvia hic ſpiritus multa in nos contulit & adhuc confert beneficia, utpote vocationis, regenerationis, illuminationis, juſtificationis, ſanctificationis, &c. conveniens eſt, ut hæc beneficia ſigillatim, qvemadmodum ſemper, ita præcipue his feriis Pentecoſtalibus perpendamus, debitasqve pro iisdem gratias DEO agamus, & ad exemplum Apoſtolorum aliorumqve fidelium lingvas noſtras prædicationi magnalium DEI dedicemus & conſecremus. Vid. B. Dieterici Analyſis l. c. p. 222. ſqq. Placet ad majorem devotionem excitandam ex B. Hildebrandi libello de Diebus Feſtis recenſere qvid in veteri eccleſia fuerit hoc Feſtum, ita autem ille p. m. 79. *In veteri eccleſia Pentecoſten, vocarunt dies iſtos qvinqvaginta continuos, qvi inter Paſcha, & qvam hodie dicimus Pentecoſten interjacent. Meminit horum Feſtorum dierum Tertullianus, eosqve omnium nationum Feſtis anteponit Libro de Idololatria. Ambroſius hos qvinqvaginta dies omnes & ſingulos veluti dominicos habitos refert Sermone LXI. Chryſoſtomus eosdem dies indulgentiæ vocat, qvibus ita corpus reficere monentur, ne animus inqvinetur. Ratio hujus prolixæ Feſtivitatis erat inſigne gaudium ex reſurrectione dominica, & completo redemtionis opere conceptum. Originem hujus qvinqvagintadialis Feſti Ambroſius à Salvatore noſtro derivat, ita*, inqvit, *Dominus diſpoſuit, ut per qvadrageſimam contriſtemur, & per qvinqvageſimam lætemur. Sermone LXI. S. Hilarius in Prolegom. ſuper Pſalmos hos dies ab Apoſtolis conditos affirmat: Verum Tertullianus, ut antiqvior cæteris, ita rectius judicat, hanc veterum Pentecoſten ab eccleſia tradi-*

traditam, & consvetudine receptam esse. Ritus, qvibus veteres hos qvinqvaginta dies celebrarunt, cumprimis hi fuerunt: Primo per hos 50. dies nunqvam jejunarunt, secundo nunqvam per hos 50. dies genua flexerunt, sed stantes & erecti orarunt, ut refert Tertullianus, tertio per eosdem dies sacris meditationibus & canticis lætitiæ operati sunt, præsertim per omnia templa resonuit HALLELUJA, qvod per qvadragesimam non oportuit, teste S. Augustino Tract. XVII. in Johannem. Verum, hodie addit, hæc veterum Pentecoste, qvamvis Festum antiqvissimum & œcumenicum fuerit, in orbe Christiano cessat, unde discitur, qvanta sit in ritibus etiam œcumenicis abrogandis ecclesiæ libertas. Hactenus B. Hildebrandus. Patet jam ex his verbis, qvanta cum devotione & ardore veteres hoc Festum celebraverint, non tres, sed qvinqvaginta integros dies illi impedentes. Qvamvis autem eodem Hildebrando teste, p. m. 89. non adeo constet, qvando nostrum Pentecostes Festum per tres dies feriandum ab Ecclesia institutum sit, cum tamen tempore jam Augustini fuerit in usu, juxta *Epist. ipsius ad Jan.* per plurima Secula in Ecclesiis Christianis celebratum fuisse videmus. Agedum ergo, *O mei*, antiqvæ & laudabili huic consvetudini nos conformemus, neq; qvicqvam sacris hisce diebus committamus, qvo Spiritum S. contristari possemus, juxta monitum Pauli ad Ephes. IV. 30. seq. Qvin potius cum Davide ingemiscamus ex Ps. CXLIII. 10. *O DEUS, doce nos facere voluntatem tuam, qvia tu es DEUS noster: Spiritus tuus bonus ducat nos in terra rectitudinis*, & ex Ps. LI. 13. *Spiritum Sanctitatis ne aufer à nobis, reduc nobis gaudium salutis, & Spiritus spontaneus sustentet nos.*

P. P.

GRYPHISWALDIÆ,

Sub Sigillo Academiæ, Feria I. Pentecostes,

Anno M DCC VIII.

Landesbibliothek Oldenburg